



Georgius Vicelius Vaccensis apud Saxones natus & educatus est. Is cū fœlici ingenio es-
set præditus, literarum studiū elegit, atq; post pri-
ma fundamenta iacta sese Vuitebergam contulit,
& ibidem in omni genere disciplinarū plurimū
profecit. Deinde quoq; Theologiæ incubuit, atq;
in talem Theologum euasit, qui postea etiam pre-
stantissimis in Germania fuerit comparatus. Inde
relictis Euangelicis Lypsiā contēdit, atq; Geor-
gio principi Saxonię gratissimus fuit. Ibi animum
ad scribendum appulit, atq; pro defensione bono
rum operum, et de iustificatione librum scripsit. In
de enarrationes Euangeliorum & Epistolarū Do-
minicaliū edidit, & Vuitebergenses in editione Bibliorum reprehēdit. Cum
autem postea Lypsiā Euangeliū doctrinam anno circiter 1540 reciperet, ipse
aliquandiu Moguntiæ & Coloniæ uixit, atq; hinc inde in publicis Imperij co-
mitijs disputando & conferēdo se talem exhibuit, ut à Carolo Cæsare annuo
stipēdio ornaretur, quò liberius studijs uacare, & rebus sacris incumbere pos-
set. Itaq; ex eorū numero fuisse dicitur, qui Anno 1548 in Augustanis comitijs
nouam religionis formulam, quam Interim uocarunt, Cæsari petenti obtule-
runt. His & huiusmodi studijs, quibus Georgius Catholicos defendere, & E-
uangelicos reprehendere multis æditis libris solitus fuit, ipse omni-
bus notissimus factus fuit. Conrad. Lycosth. in
Biblioth.